

decies centena millia nongentos & quadraginta unum. Hujus Imperii anno quinto inter Theram, & Therasiam in mari Egea insula de profundo emicuit, triginta stadiorum spatio extenta. Anno ejus septimo sub procuratore Judae Cumano in Hierosolymis tanta seditio in diebus Azymorum exorta est, ut in portarum exitu populo coarctato triginta millia Judaeorum caede prostrata, & compressione suffocata referantur. Tunc, & apud Athenenses superscripta est ara Ignoto Deo. Veruntamen anno ejus VIII. tanta fames Romae fuit, ut medio foro imperator corruptus à populo corviciis, & fragminibus panis turpissime infestatus, aegre per Pseudothyrum in palatium refugiens, furorē excitatae plebis evaserit. Hujus temporibus visus est apud Aegyptum Phoenix, quam volucrum fertur anno sexcentesimo quinquagesimo quarto ex Arabia memorato loco advolare. Et Apollonius ex Tyanensis Italiae ortus, Pythagoricus philosophus Romae pollebat, ita ut hunc ipso quoque Pythagora, Philostratus, & alii, acrioris ingenii fuisse describant. Hic Agrippinam Germanici fratris sui filiam duxit uxorem, quae filio Imperium procurans, primo privignum Britannicum in palatio insidiis multiformibus appetit: dehinc ipsum conjugem veneno interemit. Vixit annos sexaginta quatuor, imperavit annos quatuordecim. Post mortem consecratus est, Divusque appellatus. (3) Cujus funus, ut quondam in Tarquinio Prisco diu occultatum est, dum arte muliebri custodes corrupti agrum simulant. Nero privignus ejus Imperii jura suscepit.

N E R O.

Anno ab Urbe condita DCCCVIII. Domitius Nero, patre Domitio Aenobarbo genitus, ab Augusto quintus, principatum adeptus est. Iste quinque tolerabilis fuit: unde quidam condidere Trajanum solum dicere: procul distare cunctos principes Neronis quinquennio: postea in omnibus Caligulae avunculo suo simillimus, qui Romanum, & deformavit imperium, & minuit. Inusitatae luxuriae, sumptuumque, ut qui, exemplo Caligulae, in calidis, frigidisque lavaret unguentis, rebus aureis piscaretur, quae blateis (4) funibus extrahebat. (5) Plurimos Senatorum nulla existente causa bonis privavit. Necatorum omnium sub una die, tormentis quoque adhibitis, omnem peritum censum absterxit. Crudelitatis autem rabie ita effrenatus est, ut plurimam Senatus partem interficeret, equestrem ordinem penè destrueret. Bonis omnibus hostis fuit. Libidinibus porro tantis exagitatus est, ut ne à matre quidem, vel sorore, ullave consanguinitatis reverentia abstinuisse referatur: virum in uxorem duxerit: ipse à viro amictus nubentium virginum specie, palam convocato senatu, dote dicta, cunctis festa more frequentantibus, ut uxor acceptus est. Ad postremum tanto se dedecore prostituit, ut omnia penè Italiae, ac Graeciae theatra perlustrans, assumpto etiam varii vestitus dedecore saltaret; cantaret in scena citharœdico habitu, vel tragœdico. Parricidia multa commisit, fratre, matre, sorore (6) interfectis. Urbem Romam per sex dies, septemque noctes incendit, ut spectaculi ejus imagine cerneret, qualiter olim Troja capta arserat. Et ipse ex altissima illa Mæcænatiana turre prospere-

atans, letusque flamma pulchritudine, tragico habitu Iliada decantabat. Horrea quadro structa lapide, magnaue ille veterum insulae, quas discurrens flamma adire non poterat, magnis machinis ad externa quondam bella preparatis, labefactatae, atque inflammatae sunt. Avaritiae autem tam præruptae extitit, ut post hoc incendium neminem ad reliquias rerum suarum adire permisit. Cuncta, quae flamma quoquomodo superfuerant, ipse abstulit. Centies centena millia H. S. annua ad expensas Senatui sibi conferre imperavit. Octavianam, & Sabinam cognomento Pompeam in matrimonium ducit, viris earum trucidatis. In remilitari nihil omnino auxit. (7) Britanniam penè amisit. Nam duo sub eo nobilissima oppida illic capta, atque everta sunt. Armeniam Parthi sustulerunt, legionesque Romanas sub jugo miserunt. Duæ tamen sub eo provinciae factae sunt: Pontus Polemoniacus, concedente rege Polemone, & Alpes Cottiae, rege Cottae (8) defuncto. (9) Tunc Galba prætor Hispaniae, & C. Julius imperium corripuit. At ubi advenientem Nero Galbam didicit, Senatusque sententia constitutum est, ut nudus per publicum ductus, furcâ collo (10) ejus insertâ, virgis usque ad mortem cederetur, atque ita saxo præcipitaretur: igitur desertus undique è palatio fugit, (11) noctis medio Urbem egressus, sequentibus eum Phaone, Epaphrodito, Neophitoeque, & Spadone Sporo, quem quondam exellum formare in mulierem tentaverat, & in suburbano se liberti sui, quod est inter Salariam, & Nomentanam viam, ad quartum Urbis miliarium, (12) ictu gladii transegit, adjuvante trepidantem manum impuro, de quo diximus, eunucho, quum sanè prius, nullo reperto à quo feriretur, exclamaret: Itane nec amicum, nec inimicum habeo? Dedecorose vixi, turpius peream. Edificavit Romae thermas, quae antea Neronianae dicebantur, nunc Alexandrinae appellantur. Obijt ætatis trigesimo primo anno, imperavit XXIV. atque in eo omnis Augusti familia consumpta est. Hujus temporibus poete pollebant Romae, Lucanus, Juvenalis, & Persius, Senecaque Tragicus, Musonius, atque Plutarchus Philosophi. Hunc Persa tantum dilexerant, ut legatos mitterent, orantes copiam construendi monumenti. Ceterum adeo cuncta provinciae, omnique Roma in interitu ejus exultavit, ut plebs induta pileis manumissionum, tanquam servo exempta domino triumpharet. Denique omnibus flagitiis suis hoc etiam addidit, quod (13) primus Romae Christianos supplicii, & mortibus affecit, ac per omnes provincias pari persecutione cruciari imperavit. Ipsum quoque nomen extirpare conatus, beatissimos Apostolos Petrum cruce affixit, Paulum capite gladio secuit. Mox autem aervatim miseram civitatem obortae undique oppresserunt clades. Nam subsequente autumno tanta urbi pestilentia incubuit, ut triginta millia funerum in rationem libitinae venirent.

G A L B A.

Anno ab Urbe condita DCCCXXII. de Hispania Ser. Galba surrexit, & ab Augusto sextus, principatum adeptus est, antiquissima nobilitatis Senator, Sulpiciorum gente progenitus, cum LXXIII. ætatis ageret annum, ab Hispanis, & Gallis impera-

(3) A. post appellatus. Successit huic Nero Caligula avunculo suo simillimus, qui &c.

(4) A. blattinis.

(5) A. infirmam Senatus partem interfecit, bonis &c.

(6) A. pro sorore, uxore.

(7) A. ausus.

(8) A. Cottio.

(9) A. post defuncto. Propter hoc Romano urbi execrabilis, & ab omnibus simul destruitus, & à Senatu vestis ju-

dicatus, cum quereretur ad penam, quae pena erat talis, ut nudus &c.

(10) A. capiti.

(11) A. & in suburbano liberti sui, quod est &c.

(12) A. post mil. se interfecit. Edificavit &c.

(13) A. quod SS. Dei Apostolos Petrum, Paulumque trucidavit. Huic Servus Galba successit antiquae nobilitatis Senator, cum &c.